

**De telae tuberculosae pathogenesi et curatione : dissertatio inauguralis medica ... pro summis in medicina et chirurgia honoribus rite sibi conciliandis die IX. m. Septembris a. MDCCCXXXIII publice defendet / auctor Joannes Baptista Asmus ; opponentibus L. Begasse, C. Boeger, F. Boeger.**

### **Contributors**

Asmus, J. B. 1809-  
Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library

### **Publication/Creation**

Berolini : Typis Nietackianis, 1833.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/efs5upzb>

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
TELAE ACCIDENTALIS TUBER-  
CULOSAE PATHOGENESI ET  
CURATIONE.

---

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA  
**FRIDERICA GUILIELMA**  
PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE SIBI CONCILIANDIS  
*DIE IX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIII.*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**JOANNES BAPTISTA ASMUS**  
MOGUNTINUS

---

OPPONENTIBUS:

**L. BEGASSE**, MED. ET CHIR. DR.  
**C. BOEGER**, MED. ET CHIR. CAND.  
**F. BOEGER**, MED. ET CHIR. CAND.

---

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.

[1833]



LEHRE ACCIDENTALS TUBER  
CLORAE PATHOGENESI ET  
CLAVIONE

JOHANNES

LEHRE

1833

COMPL. DE ACCIDENTALS

CLAVIONE

1

UNIVERSITÄT

**In nothwendigen Dingen Einheit, in zweifel-  
haften Freiheit, in allen Liebe.**



19th  
Cent  
RC310.5  
A75  
1833



**VIRIS**  
**ILLUSTRISSIMIS, AMPLISSIMIS:**

**ORDINIS MEDICORUM GRATIOSI**

**H. T.**

**DECANO SPECTABILI**

***AEM. OSANN***

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, EQUI TI ORDINIS  
DE AQUILA RUBRA, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN  
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI ET IN ACADEMIA  
MILITARI MEDICO-CHIRURGICA PLURIUMQUE SOCIETATUM  
LITERARIARUM SODALI,**



VIRIS

LEUSTRASSINIS, APTISSINIS:

ORDINIS MEDICORUM GRATIOSI

T. II

MICHAELI SPECTABILI

NEC NON

ALM. Q. S. A. M. V.

MEDICINAE ET CHIRURGICAE DOCTORI, EQUITI ORDINIS  
DE AQUILA RUBRA, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN  
UNIVERSITATE LITVANICA HELIOLINENSIS ET IN ACADEMIA  
MILITARI MEDICO-CHIRURGICA PETERBURGENSE SOCIETATEM  
LITVANICAM SODALI,



***E. D. A. BARTELS,***

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI, DIRECTORI CLINICI MEDICI IN NOSODOCHIO CARITATIS, REGIS A CONSILIIS INTIMIS, EQUITI ORDINIS DE AQUILA RUBRA, ET LEONE AUREO HASSIACO, PLURIUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI,



**PRAECEPTORIBUS MAXIME COLENDIS**

**HASCE STUDIORUM PRIMITIAS**

**PIO GRATOQUE ANIMO**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**



---

DE TUBERCULOSI GENERATIM IMPRIMISQUE  
DE TUBERCULORUM ORIGINE.

Contemplantes vastum illud regnum Pseudorganismorum ex Hydatide simplici usque ad fungum medullarem luxuriantem nullum certe frequentiore*m* iuueniemus quam tubercula, de quibus nobis hoc loco sermo. Jam in avium cadaveribus occurrit hoc pseudorganismorum genus; sectionesque institutae in carceribus animalium, quae Lutetiis Parisiorum sunt, satis demonstravere animalia saepissime phthisi tuberculosae succumbere (1). In mammalibus creberrima sunt, siquidem nonnulla, inter quae canis, excipis (2). Jam in saeculo priori investigabat cele-

---

(1) Inter aves conficiuntur psittaci fere omnes tuberculosi. In Museo Alfortiensi exstat hepar galli indicii totum tuberculis completum.

(2) Andra I secuit Alforti cadavera equorum septuaginta duorum, qui malleo humido erant interfecti; horum tredecim tubercula praebabant in glandulis inguinalibus, sex in testiculis.



berrimus Hunter caniculorum tubercula ovesque saepissime hoc morbo laborare inter omnes constat. Prae ceteris simiarum corpora devastant, in quibus pulmones et lienem amant. Renauld(1) invenit in cadaveribus simiarum novemdecim tubercula, quae antea tabe et tussi laboraverant. Similem in modum videbat Andral(2) in cadavere cercocebi virilis tubercula in pulmonibus hisce confertis, in hepate, liene, glandulis axillaribus et mesenterii nec minus in tunica mucosa intestinorum. Hippolytus Royer-Collard secuit anno MDCCCXXVIII Lutetii Parisiorum leonem, cujus pulmones ingentem tuberculorum numerum continebant. In bubus et equis tubercula certe non rara.

In hominibus imprimis in pulmonibus tubercula obvia fiunt; haud raro et in tela cellulosa, substantia cerebri et nervorum, musculis, tunicis serosis et mucosis, glandulis conglobatis et conglomeratis, immo in cordis et pericardii partibus, in pleura, glandulis bronchiorum, pharyngis tunica mucosa, simul in trachea, peritonaeo, hepate, pancreate, liene, (rarius quidem in adultis quam in infantibus) tunica mucosa intestinorum, in mesenterio, renibus, utero, ovariis nuperrime et in prostata testiculisque.

---

(1) Froriep's Notizen No. 630, pag. 224.

(2) Andral Grundriss der pathologischen Anatomie aus dem Frz. von Dr. F. W. Becker. Leipzig 1829.



Exempla aptissima hisce annis Robert Law(1) attulit, qui in puella duodecim annorum tubercula in cerebro, pulmonibus et peritonaeo invenit. J. Schwiift(2) retulit casum rarissimum tuberculoseos omenti. Hanckel verba facit de puella admodum tenera trium annorum, in qua occurrerunt tubercula in cerebro, quae morbillis excolebantur(3). Laennec in phthisico tubercula vidit fere in omnibus organis, immo pars inferior musculi sternocleidomastoidei mutata erat in massam firmam tuberculosam. Duvernoy(4) ante nonnullas hebdomades tuberculosin in spina dorsali inter vertebam primam et septimam colli, simul in cauda equina, in cerebro et cerebello, in ponte Varolii et dura matre vidit. Ipse vidi tuberculum magnitudine nucis juglandis in cerebro fatui, quo paralysis partis oppositae faciei adducta est praetereaque tuberculosin fere in omnibus aliis organis.

Similem casum apoplexiae tuberculo motae in cerebro tradidit Lepelletier(5), qui omnino casus aptissimos et gravissimos de hoc morbo affert. Et

---

(1) Sammlung auserlesener Abhandlungen. Band XV, St. 2.

(2) London medical and surgical Journal Juli 1831, vide Gerson u. Julius Magazin, Jan. u. Febr. 1832.

(3) Rust Magazin. Bd. 37. Heft 1.

(4) Med. Correspondenz-Blatt des Würtemberger Aerzte-Vereins. Jahrgang II. No. 1833.

(5) Traité de la maladie scrophuleuse.



tuberculā eodem modo ut alii morbi praedispositionem sibi requirunt. Tubercula idiopathica extra pulmones oborta non bene signis praedisponentibus adnuntiata scimus, cum omnino non bene de signis tuberculorum in aliis organis simus edocti. Quod ad pulmonum tubercula scimus, ea praecipue occurrere in hominibus cutis albissimae, quorum vasa cutanea omni cruore carent; quorum genae rubore circumscripto splendent, qui color memorabiliter excellit in albas faciei ceteras partes. Color his hominibus et in oculis deest, qui ut in infantili aetate coerulei remanent eodemque modo in systemate crinium, quod pallidum et parcum apparet. Musculi minime constantes sine robore, sanguis aquosus et fibrini cruorisque parca adest copia; secretio mucosa praevalens, facillimeque congestiones in varias cutis et systematis mucosi partes eos vexant, quae saepius redeunt, chronicae evadunt exulcerationesque adducunt. Praeter habitum phthisicum satis notum, multum proprium tales praebent homines in excolendis singulis partibus, saepiusque symptomata pathologica haud magni ut videtur momenti; sic jam in Hippocrate exstat aphorismus „phthisicis ungues adunci.”

Pigeaux (1) de hac re dixit: Incrementum

(1) Dr. Pigeaux Neue Forschungen über die Aetiology, Symptomatologie u. den Mechanismus der zapfenförmigen Entwicklung des Endes der Finger; v. Frorieps



conoideum phalangum tertiarum digitorum imprimis respiciendum est; hoc est quo radix unguis extrorsum agitur. Vitia respirationis, circulationis et mixtionis sanguinis adducunt intumescentiam oedematosam articulationum digitorum imprimisque carnosarum partium; totus unguis mechanica vi repellitur et radix elata mutat directionem liberi marginis unguis, inde curvatur unguis. Hoc fit in maximo aegrotorum numero jam ante tuberculosin repertam.

Eodem modo apud phthisicos occurrunt dentes albissimi, qui tamen facillime carie corrumpuntur.

Plerumque et in tuberculosi pulmonali invenimus, si quidem hoc malum ex scrophulosi originem ducit, glandulas illas, per quas vasa lymphatica sibi ex capite in collo viam ad venam subclaviam muniunt, cum in sanis nec visu nec digito sint reperiendae, intumefactas et induratas ita, ut magnus tumorum evadat numerus, qui ex magnitudine nucis coryli avellanae ad ovi magnitudinem variant; saepius aparent ante phthisin manifestam eamque producant. Plura de his in therapia dicenda habemus.

Solent originem ducere tubercula ex parvis semipellucidis ex albo griseis granulis (tubercula miliaria), quae primo magnitudine miliaris aut cannabis seminis post increscunt, tum in media parte postremo



tota mollescunt et flavescunt, indeque obscura evadunt. Tubercula sibi affinia conjunguntur et componunt conglomerata majora minoraque, quae densa casei in modum, flava et impellucida sunt (tubercula cruda). Dum tubercula cruda Laennec ex tuberculis miliaribus conformantur, reprimunt, ut locum sibi parent, telam pulmonum circumjacentem comprimuntque eam quamquam nil diruentes; si tuberculorum conformatio nondum est finita, jam tuberculis crudis abortis plerumque tuberculorum substantia perumpit pulmonalem telam infiltrationes procreans, quamobrem haec dura, grisea et semipellucida fit.

Talis casus jam antea quam resolvuntur tubercula lethalis evadere potest. Observavi, cum medicus inferior in nosodochio Caritatis duce Ill. Bartels essem, hunc statum in fabro triginta annorum. Questus est quidem de doloribus pungentibus in priore tempore, nunc tamen recipiebatur tantum ob lassitudinem et vertiginem.

Matutino tempore observabam exacerbationem febris semper satis fortis, ceterum bene respirabat aegrotus nec ullum symptoma, unum prae ceteris organon laborare videbatur; tantum sthetoscopo comperiebam apicem pulmonis sinistrae impervium. Lassitudo et vertigo celeriter incrementum ceperunt, repente supervenit delirium cum sudore frigido insequentem nocte mortem obiit. Sectio totum pulmonem infiltratum demonstrabat, ita ut respirare aegrotus non



posset. Ceterum nil abnorme inveni. Omnia tubercula finiuntur tandem resolutione et liquatione. Hic processus ex centro tuberculi incipit proceditque tandem ad peripheriam, ita ut tandem tuberculum resolutum speciem puris flavescentis et spissioris praebeat aut in partes duas dividatur, quarum una liquida, pellucida et sine colore ad seri rationem, altera contra non pellucida, dura, consistentiae casei apparet.

Forma originalis tuberculorum est illa miliarium origoque eorum aggregatio. Si proponeremus vesiculosa esse ex initio tubercula, certe in errorem incideremus, nam sectiones accuratissimae contrarium demonstravere. Vesiculae saepissime in regione tuberculorum occurrunt, ut Andral bene exposuit.

Hunter hanc falsam sententiam protulit, cum in animalibus levi nutrimento in carceribus utentibus hepar Hydatibus et tuberculis repertum inveniret. Eodem errore laboravere Baron(1) et Dupuy(2).

De nisu formativo non satis inter pathologos constat.

Crescimbini in opere Bolognae laureato censet chronicam esse inflammationem vasorum lymphaticorum, cui tamen tantum causam scrophulosam sup-

(1) Treatise on the tubercular disease. London 1821.

(2) Traité de l'affection tuberculeuse 1817.



ponit. In vasis lymphaticis maxima pars medicorum Germaniae quaerunt causam.

Delpech(1) contendit pus, scirrhum, tubercula et carcinoma nec minus quodque morbosum productum proprium sibi postulare organon formativum, idem occurrere in tumoribus cysticis eamque ob causam eos ligatura non sanari posse. Andral demonstrare studet tubercula pulmonum non vasis lymphaticis fieri, sed secretione morbosa humoris in cellulas parvas aëris.

Ejusdem sententiae sunt plurimi recentiorum autorum. Nescio rectene putat Andral tubercula tantum alienata fieri exhalatione, veresimillime apparet vitium formationis et qualitative alienatae nutritionis ut et scirrhus; censet quidem ubique fieri tubercula, cum ubique fiat exhalatio; at idem videmus in scirrho: nam ex nostra scientia omnia organa scirrho corrumpi possunt. Certe jam scirrhus altiorrem tenet locum, cum jam non ut tuberculum juxtapositione incrementum capiat, ceterum vero eundem sibi decursum eligit; nusquam extra regnum pseudorganismorum simile quid habemus. Eam ob causam inferiorem tenet gradum tuberculum, quod fibrinum ei deest, quo Melanosis, Encephalosis et Scirrhus majorem organisationem accipiunt. Exortum eandem

---

(1) Ansichten über die Entstehung krankhafter organischer Erzeugnisse. Froriep No. 626.



cum organismo agit vitam; quod Andraa negat, dependet ex eo ut organon et ita cum eo conjunctum est; quamquam localiter res se non ita habere videatur, jam melanosibus videmus quae in ipsis tuberculis fiunt, ita ut nigrescant tubercula. Non magis inclaruit tuberculorum origo certe ad therapiam haud mediocriter pertinens; plerumque putant hunc pseudorganismum aut et ceteros inflammatione procreari. Imprimis Broussais hanc rationem unicam esse disputabat maximaque Gallorum pars adsentiebat, ne omnes quidem Angli et Germani hanc rem negant; ita Franciscus de Loewen-  
eck (1) haecce in publicum dedit: Parasiti natura est ditior et vitiosa nutritio partis, cui, si pseudorganismus cum toto corpore conjunctus est, inflammatoria subest causa.

Haec inflammatio plerumque admodum est chronica quam ob rem illi fructus lente tantum apparent. Andraa originem declarari posse putat irritatione, cum in pulmonibus tuberculosis cellulae aëris proximae regionis amplificatae et flavis punctis repletæ appareant.

At haecce puncta et in tuberculis ipsis occurrunt.

(1) Mediz. Jahrbuch der k. k. oesterreichischen Staaten, Band 12.



runt, quae tamen non inflammatione laborare videntur.

Amplitudo cellularum nonnullarum eo imprimis adducitur, quod aëris copia et vis augetur, cum nonnullae cellularum obturatae sint aërique aditum non praebeant; ita ut haec res cum illa comparari possit, quae in arteriarum ligatura occurrit; nam cum majores ligatura obturantur, amplificantur minores tali-que modo circulationem toti corpori singulaeque parti servare student.

Ipsè Andral concedit nec aegrotum, cum adhuc lecto adjaceret, symptomatibus nec cadaver in sectione interdum irritationis signa praebere.

Hoc certe in tuberculosi illa gravissima cerebri fieret.

Concedit Andral (1) praeterea theoriam de tuberculorum genesi eodem modo intelligi debere ut et in aliis morbis; non esse propriam rem, sed similia saepius occurrere et in ceteris pseudorganismis, quod et ex anatomia pathologica patet. —

Irritationem nobis ponamus causam efficacem saepius accedentem, tamen minime necessariam; hanc irritationem sine adjumento aliarum functionum nec tubercula nec alias alienationes proprias in nutritione et secretionem producere posse; quamquam post hanc, cum hac et per hanc oboriri solent.

---

(1) Andral in operibus jam supra citatis.



Ut equidem puto tuberculosis iisdem legibus subjecta est, quibus ceteri pseudorganismi; nec morbus nobis videtur localis, nec origo casu data.

Si quidem hoc bene observamus, omnes pseudorganismos ejusdem generis quod ad formam, mixtionem, texturam in eadem re fere omnino convenire, omnino aequales et vix varia organorum structura discrepare, quae ab iis infestantur, certis eos legibus immutabilibus subjectos esse; certe contendere possumus eos profundius et firmiter esse fundo praeditos totumque organismum participem esse in eorum formatione imprimisque vim plasticam (1).

Tali modo quaestio num pseudorganismi inflammatione exoriantur, nec ne, inutilis et supervacanea rejicienda, una aliave sententia vana est conjectura. Inflammatio nunquam exire potest in vehementem fungum medullarem, etiam minus infantis, qui jam prima pueritia tuberculis in omnibus fere organis exstructus est, quondam totum corpus inflammatum esse. Compertum habemus, ut brevi dicam, profundius esse malum, quod, error formationis, omnia ejusmodi deformia provocat, ut jam tumor cysticus, qui plane per se existere videtur, optime ostendit (2). Quamquam ex modo dictis

---

(1) Laennec mittelbare Auskultation. Lorinser Lungenkrankheiten.

(2) Hauff Med. C. B. Nro 34. apud mulierem quadragesimum annum agentem, quae bona valetudine gaudebat, innu-



facile explicari possit, ex inflammationibus pseudorganismos originem non ducere, tamen e contrario satis idoneum naturae videtur, arteriale systema materiam ad ejus generationem porrigere. Nervorum systema, quod ad formam attinet, in plurimos pseudorganismos magnam quidem vim exercent, in tubercula profecto tamen valde exigua, haec magis juxtapositione quam crystallisatione partium electricitate oppositarum exoriantur. — Itaque verisimile pseudorganismorum conformatio in idem reduci potest, in quod ipsius organismi ortus. — Maxime huic opinioni favere videtur, quod tubercula in foetu reperta sunt (1). — In hoc praevalet nisus formativus et semel in generatione posita morbosa plasticitas tubercula conformat eadem ratione, qua aliis conditionibus eodem loco forsitan normalem cellularem provocasset. De praesenti matris stadio tubercu-

---

meros tumores videbat cysticos. — Totus ejus corpus iis obiectum esse narrat. Mater et soror hujus mulieris simili laborat malo, tamen mitiori. —

(1) Non multum ante Steinthal Berolini (*Journal complément in v. Siebolds Journal X. 2. Pag. 361—362*) in sectione infantis duorum mensium, qui a primo vitae initio brevi et difficili respiratione laboraverat, totum dextrum et maximam sinistri pulmonis partem durum invenit, externe rubrum neque aëri transitum dedisse videbatur. Accuratiores inquisitiones miliaribus tuberculis impletam esse hanc pulmonum partem ostendit.



lorum in foetu generatio non magis dependet, quam formatio systematis nervorum, omnium organorum, genitalium, musculorum, ossium, omniumque ceterorum organorum. Haec sunt nova producta, quae ipsa in ovo per se oriuntur. — Morbosus tantum nisus formativus tantas organisationes efficere potuit, quae in generatione a patre aut matre haereditarie acceptae, ipsi organismo propriae una cum normali organisatione explicabantur, et vita ipsa in aëre interitum parare possunt. Ex gravidarum adpectu vitia semper magis vana habentur, cum foetus placenta ne id quidem efficiat, ut ovo ei adductum chylum ullo modo commutare possit, frustra enim in placenta et funiculo umbilicali nervorum ramuli inquisiti sunt. Eodem modo caetera omnia plantis similia, ovorum, organa, allantois, vesica umbilicalis, hepar, et amnion functionibus, quae nervos in iis adesse demonstrarent, carent. — Excretio fluidi vesiculae umbilicalis, allantoidis et amnii, filtratio magis aut exhalatio, est tanquam in plantis. — Non magis vis, formativas leges de recta via deducendi, chylo ipsi, ab utero dato, adscribi potest, cum et alia fluida, exempli causa, lac syphiliticarum aut sperma hydrophobicorum morbum non transmittant. Nervorum systema exiguum tantum vim in ejusmodi organisationum conformationem habere, et ipse documentat foetus; cum hoc systema in illo quiescat, ipseque in somni



statu sine somniis, ut cum Joerg loquar, versetur (1).

Saepe exoriri tubercula, et quae sint eorum genera multum loquar non necessarium est, cum haec omnia jam satis illustrata sint, et quotidie occurrant. Memorabile videtur, phthisin secundum Oppenheim (2) in Turcia parum divulgatam esse, et magis sequi male curatam pneumoniam et catarros, quam morbum existere haereditarium. — Complures occasionales causae, variae vitae rationes, quae eam provocant, ibi plane absunt. Ergo progrediamur in contemplandis tuberculis, ut videamus qua ratione natura nobis in sananda phthisi occurrat. — Post Homerum Iliada me scribere putarem, si de reactione organismi hic latius dissererem; idque tantum ex libris scribere possem, qui omnia symptomata hujus multum observati morbi quam optime exponunt.

Intra et post excretionem solutae massae tuberculosae in vacuo nunc orto cuticula formatur et interdum altera. Haec est mollis, alba, tenuis, sae-

---

(1) Dr. Joh. Gottfr. Joerg der Mensch auf seinen körperl., gemüthlichen und geistigen Entwicklungsstufen, Leipzig 1829.

(2) Ueber den Zustaad der Heilkunde und über die Volkskrankheiten in der europäischen und asiatischen Türkei. — Ein Beitrag zur Kultur und Sittengeschichte von Friedr. Wilh. Oppenheim Dr. etc. Hamburg, 1833.



pissime obscura, et interdum cartilagineam, imo etiam osseam induit naturam. — In ipsis excavationibus tuberculosis lumina complurium bronchiorum ramulorum observantur ea directione, ut antea per tuberculi ipsius substantiam irent necesse esset. Quae excavationes saepius crudis et miliaribus tuberculis circumdantur, quae et ipsa postea relaxantur, cavas curvasque vias formantes, maxima cum excavatione communicant (1). Quae cava tuberculosa saepe cicatrisaverunt, et Laennec hac de re, quae sequuntur, nobis refert: Si in cavo medicatrices incipiunt functiones, limites ulceris fibrocellulosam oculis offerunt membranam, quae parietes induit, et locum pristinae suppurationis, pellucidi serosi fluidi excretio sibi assumit. Postea commutatur fibrocellulosa membrana; fibrosa lamellula in telam convertitur cartilagineam, dum tractus cellulosus certe memorabili processu in tunicam mucosam immutatur, quae tandem cum tunica mucosa bronchiorum conjungitur; talique modo aperturae bronchiorum in excavationes tuberculosas margines applanatos et bene circumscriptos recipiunt (2).

Attamen mutationes, medela provocatae, non

---

(1) Vasa in iis non reperiuntur, et Baillie vasa in circuitu jam conferta videbat. Baillie Anatomie des krankhaften Baues etc. Aus dem Englischen von Soemmering und Hohnbaum. Berlin 1820.

(2) Andral in opere de anatomia pathologica. —



dum his finitae sunt; nam aut cavi parietes conjunguntur, earumque loco fibrosocellulosum aliquid remanet intermedium, quod complures cum nulla alia parte communicantes excipit bronchiorum ramulos, aut fibrosa sive cartilaginea, in cavi circuitu orta, lamellula grossior facta, in irregularem convertitur massam, quae et ipsa cavi partes sibi assumit et bronchiis viam munit. Praeterea cava nonnunquam impleri videntur calcarea phosphorica, certe enim adsunt exempla, in hominibus, qui multos annos ante mortem ita se haberent, ut non dubium esset, quin excavationibus laborantes tuberculosis sanati fuissent, nil nisi phosphoricae calcareae reperta esse concrementa, in quibus antea pectoriloquium et loquela gargulians (gargouillement) audita fuerint. Laennec, qui rarissime phthisin sanatam concedit, ad haec modo allata illustranda, quinque affert morbi historias, ulcerum nempe in pulmonibus, quibus mutatione in semi-cartilagineas fistulas medicatus esset. — Inter haec ulcera, unum in semi-cartilagineam fistulam conversum, erat, alia crudorum et miliarium tuberculorum prae se tulerunt formam in homine, qui cerebri morbo obiit; aliud et ipsum in semi-cartilagineam fistulam commutatum in homine reperiebatur, qui non solum alterum nondum plane sanatum, verum etiam cruda oculis obtulit tubercula. — Praeterea Laennec in his morbi historiis refert de phthisi pulmonum, qua liberatus est aeger





ulcerosae excavationis in fistulam commutatione; et de semi-cartilaginea partim cicatrisata pulmonis fistula sectione cadaveris inventa, in quo praeterea etiam tubercula varii modi, aliaque nondum cicatrisata fistula observata sunt. — Affert quoque Laennec, quae de pulmonum cicatricibus expertus sit, unaque complures valde memorabiles sanatae phthiseos pulmonum casus. — Haec locali conformatione medicatrix efficit natura stadio relaxationis. — Apparet hanc conformationem universalibus provocatam esse mutationibus, et aliam quoque fuisse formandirationem in sanata phthisi tuberculosa. Propositum nunc mihi est, ut quae natura in toto organismo efficiat, mutationes, paucis illustrem.

Secundum omnia, quae medici experti sunt, universales morborum status magna cum vehementia tantam provocant derivationem, ut tuberculorum impediunt latiore generationem. — Tali modo interrupta est phthisis, cum gravem in typhum aeger incideret, quo finito tamen, ut antea progrediebatur. — Si mania corripit phthisi laborantem, haec, una cum omnibus evanescit symptomatibus, mania tamen repulsa, cum omnibus quae ipsam comitantur, revertitur. — At ejusmodi graves et praetereuntes morbi per aliquod tantum tempus opprimunt hoc malum, ut graviditas; documentum exhibentes, hunc morbum, derivatione et artificiose provocato chronico morbo, sanandum esse. — Id vero cum maxime



agitur, qui sit morbus, quo phthisis tuberculosa interrupti aut plane opprimi possit.

Omnino is ejusmodi esse debere videtur, qui non plane alienus sit ab organismo. — Si ergo ex morbi historiae anamnesi apparet minus gravioris morbi non explicati adesse dispositionem, hunc provocare conetur medicus. — Idemque faciat, si evanuerant morbi aut comminuti erant. Sin vero jam nimis longum tempus praeterlapsum et climacterica mutatio in organismo adest tales morbos excitare frustra tentes. — Itaque naturae consilium, quod raro nos fallet, cum cura observandum est. — In sequentibus mox paullo latius hac de re disserere mihi liceat. — Illi quoque medici haec bene intellexere, qui tanto cum eventu antecedentes revocabant morbos. Tali ratione intumescentiis glandularum in collo nisus (vide supra) Parrish (1) vaccinatione in hoc loco, et magna acri unguento irritatione illos tumores provocavit, et tamdiu in supuratione sustinuit, quam phthisis plane oppressa erat. — Optimo cum eventu hunc in modum Aethiopsis infantem plane sanavit. Ritscher (2) infricationes laudat unguenti tartari stibiati in tonsuram verticem, et documento affert morbi historias.

(1) Repertorium der medicinisch-chirurgischen Journalistik des Auslandes, von Behrend, — Juliheft 1831, pag 113.

(2) Rust's Magazin, 38r Band, 3s Heft.



— Ipse etiam hac methodo, magnam suppurationem sustinens, feliciter curavit. Permultae aliae agendi rationes rarissime bene evenerunt, tamen interdum sine omni utilitate eas fuisse non potest contendi.

Experientia docet, varias ad perfectam sanationem efficiendam, quibus ingrediatur, vias, habere naturam et medicum in has praesertim, ob rationalem curationem, oculos dirigere debere. Sive epistaxin provocans temporariam efficit sullevationem, sive brevibus interstitiis exceptis per multos annos indurat, aegerque sanatur; sive haemorrhoidum signa proveniunt, et si mariscae oriuntur mitior fit morbi status. — Si fluxum attingunt haemorrhoides, neque fluere desinunt, plurimis in casibus servatur aeger. — Quod ad medicatrices pertinet haemorrhagias, neque in hoc naturae observationem omittendam esse contendo. Haud semper phthisis, haemorrhoidali statu orto, levatur, idque praesertim non negligendum videtur, primo: num morbus eo tantum progressus sit, ut ad necessarias vitae operationes in laborante organo adsit adhuc satis substantiae, neque irregularis jam praevaleat conformativus nisus; deinde, num haec medicatricis naturae operatio justo quoque tempore et apta commutatione facta fuerit; num haemorrhoidalis congestio nimis parcae sanguinis decarbonisationis ideoque ortarum in venae portis stagnationum sit sequela. — Semper im-



pedita per pulmones circulatione venosi sanguinis in venis accumulationem observari, stagnatio sanguinis et aucta in cordis venis ostendit venositas. — Abernethy refert, in quinque phthisicis foramina Thebesii in sinistro praesertim ventriculo permagna fuisse, ita ut massa injicienda, si cordis arterias et venas implevisset, inde emanaverit. Puellam adhuc observavi, quae ultimo jam per quatuor annos durantis phthiseos stadio versata, nihilominus tamen ita haemorrhoidibus vexatur, ut earum adventus ei sint molestissimi. — At haemorrhoides phthiseos decursum valde interpellunt, eique salutem attulissent, si ante destructionem, quae nunc maxima est, pulmonum provocatae essent. Natura ipsa praevalentem in vasa haemorrhoidalia nisum praebeat necesse est, et morbo tantum majoris circuitus phthisis sanari potest; virili aetate, quae maximas agit, venositas, interno impetu jam auctae arteriositatis locum assumpsisse debet. —

Immo ex pulmonibus haemorrhoeam ortam, ut Roeser (1) non multo ante observavit, perfecta sequebatur sanatio. — Nimis profecto gravis est res, quam ut exempla eam illustrantia praeteream.

Benedictus (2) narrat, hominem, phthisicae

(1) Rust Magazin etc., 35r Band, 3s Heft.

(2) Tabid. Theatr. pag. 11, vide Gerardi van Swieten Commentaria in Hermanni Boerhaave aphorismos, pag. 15.



constitutionis, epistaxi phthisi liberatum esse. — A decimo sexto nempe usque ad vigesimum quintum annum, ab omnibus pulmonum malis eum epistaxis arcuerat, «sub finem veris enim», dicit auctor, «et per totam aetatem semel aut bis quotidie uncia una aut altera sanguinis per nares exivit. Vigesimo quinto aetatis anno narium haemorrhagia cessavit, frigefacto capite mox incepit pectus oppleri, successit haemoptoe et caetera ingruentis tabis signa. Venaesectio parum profuit, sed postquam rediit copiosior narium haemorrhagia pectus liberabatur, et tanto periculo ereptus mansit superstes sine manifesto valetudinis dispendio.» Non multo ante hoc tempus ejusmodi casum ipse observavi. — In propinquo Stargardo testimonium perlegi de juvene, vigesimum primum annum agente, qui antea epistaxi laborasse referebatur, quae, cum complures per annos in dies aucta perduraret, a medico stipticis oppressa est.

Quo facto statim pectus opplebatur, respiratio brevis evasit et difficilis; aeger emarcuit, tussicula vexabatur, neque scalas ascendere potuit; omnia ut brevi dicam phthiseos floridae signa explicabantur, cum epistaxis subito et magna cum vehementia redibat. — Adii hominem, patrem reperi phthisicum, ipsum vero optima valetudine fruente. Epistaxis quotidie reiteratur, plane eum non afficiens; et ipse id praesertim agit, ne opprimatur. Non multo ante



hoc mihi occurrit, ut amicus, hereditaria phthiseos dispositione, haemoptoe massae tuberculosae relaxatae corriperetur. — Inter haec haemorrhoidalis status explicabatur, fistula ani provenit, aegerque plane pulmonum malo servatus est. Ejusmodi casus valde accurate observemus necesse est, ipsa enim natura, quid faciendum sit, nobis suppeditat.

Jam ex diversis ad morbum ex fundamentis sanandum saepe cum felici eventu institutis methodis satis apparet, unum aliudve remedium in omnibus casibus non sufficere, sed semper secundum indicationes agendum esse. — Si originem ex abdomine ducit morbus, si hepatis morbi occasionales sunt phthiseos symptomatum causae, in abdominis malum cura instituatur oportet. — Robert Law injuste putat, se cum Frankio in haemoptoen ex hepate ortam primum medicos duxisse. — Hoc jam apud Hippocratem legi (Coacarum Praenot. No. 408 Charter. Tom. VIII., pag. 876). Dicit enim: «Qui-  
«cumque spumosum sanguinem spuunt, dextrum  
«hypochondrium dolentes, de hepate spuunt et multi  
«pereunt.» — Ballonius quoque hoc de malo valde memorabilem affert morbi historiam; eodemque modo hoc commemorant Aretaeus, Galenus, Benedictus alii. Si tinea antecedit capitis, haec restituenda est, si nominatae colli glandulae ante eruptionem intumuerant, secundum methodum, quam Parrish edocuit, agendum est; si epistaxis antea



aderat, hanc denuo excitare debemus, eodemque modo, si haemorrhoidum aderat dispositio, hae forsan etiam artificiosa fistula ani provocandae sunt.

Omnino ad phthisin curandam haec duo non omittenda sunt: praedispositionis nempe cura, et ipse jam conformatus morbus. Quod ad praedispositionem curandam attinet, nihil addendum restat, jam antiquissimis temporibus satis constabat. Tali modo, exempli causa Atticum de se ipsum audimus loquentem: „Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum, „qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor, et laterum „magna contentio. Fatetur autem, quod sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis diceret; ideo et medici et amici hortabantur, „ut a causis agendis desisteret; maluit tamen in „Asiam proficisci, ut consuetudinem dicendi mutaret, „quodvis enim potius periculum adire voluit quam „a sperata dicendi gloria recedere. Feliciter cessit „hoc propositum: post biennium enim redux non „modo exercitior, sed prope mutatus fuit. Nam „et contentio nimia vocis reciderat et quasi defuerat oratio, lateribusque vires, et corporis mediocris habitus accesserant.”



In morbi curatione ipsius id appetunt, ut excitationem pectoris statum remediis incitamenta mitigantibus removeant, quae adsunt cava tuberculosa ad cicatrisationem afferant, et novorum tuberculorum arceant generationem; quae duae indicationes conjunctae sunt, nam tela tuberculosa sensim sensimque neque in ipsa pulmonum substantia, verum in interposita cellulari, ut videtur, conformari solet, ideoque stadium relaxationis jam intrat, anteaquam aeger ipsum se aegrum sentit. — Quod ad primam pertinet indicationem, antiphlogistica sufficit methodus. — Primo tamen a nimis venaesectionibus intra haemoptoen, cavendum est. — Demonstratum esse, spero, tuberculosin non inflammatoria via exoriri; haemoptoe quoque jam ex diabrosi vasorum, quae per excavationes tuberculosas viam sibi muniunt, derivanda est, ideoque eo tantum fit venaesectio consilio, ut circulatio ad corporis peripheriam dirigatur (1). — Nimia venaesectione, vis eripitur na-

---

(1) Contra valde dolendum, quod vir, qui velamen se relevasse putat, quod majoribus et nostratis naturae secreta obtexerit, tam falso percipit consilium, quo nititur venaesectio. — Si Hahnemann (*Organon der Heilkunst von Samuel Hahnemann, 4te Auflage, Seite 10*) summus quippe medicus, interrogat, quid miraculi permultas sanguinis libras, quae remissae sint, in venas cujusdam, duobus horis ante pneumoniae inceptum, injecerit, haec spasmò tantum axillari risorio respuere potest rationalis medicus. — Sanguinis drachmam vexare corpus hu-



turae, apta profluvia provocandi, itaque magnae venaesectiones sine dubio detrimento sunt. — Neque unquam, in permultis casibus, ullam utilitatem ex magnis venaesectionibus exortam esse vidi.

In explenda altera indicatione non omitendum, materiae mutationem in tuberculis non adesse, ut in normalibus telis. — Albumen (1) semel formatum, diffluit caseo simile in oleosum fluidum, neque resorbetur neque ideo repelli potest. Si resorptionem ergo efficere vellent, nihil proficerent, cum tuberculum ne resorbentia quidem habeat vasa. — Itaque nunc, si perfectae sanationis spem plane non amittere et palliative tantum, ut fieri solet, agere volumus, derivandum tantum est. Qua ratione hoc fiat, supra latius expositum est. Nostris temporibus remedium commendatum est, quod fere datum erat oblivioni, idque multifarie in srophulosin et in phthisin denique adhibitum est optimo cum eventu. — Quod polymorphum remedium, jodum dico, usque ad hoc tempus in Tincturae Coindetii forma plerumque datum, a gravis momenti viris in coelum sublatum, et contra ab aliis plane repudiatum est, ita ut sine

---

manum nemo profecto credet, et venaesectione, non apte distributo sanguini aliam viam nos porrigere velle, quisque profecto scit eruditus, medicae artis plane imperitus. (1) Hoc esse fundamentum omnium pseudoganismorum, Hunter, Meckel, Abernethy, Beclard, Berzelius satis demonstrabant.



metu et cura nunquam adhibendum esset. Nova, quae Lugol instituit experimenta, valde huic remedio favent, et forma, qua utitur, non tantas explicare potest destructiones, quantas Tinctura (1). — Kurtz, sine omni detrimento jodum in haemorrhagias pulmonum, secundum Lugolii propositum cum kali hydroiodico in aqua destillata soluto, adhibuit. Hac ratione jodum in permagnis dosibus dari posse, ipse vidi, cum ipse meis manibus puellae per hebdomadem quadraginta quinque jodi purissimi grana dederim, etiam alios permagnas doses sumere viderim, neque unquam ullum damnum perspicere potuerim. — Quos in cutem, glandulas salivales et urinae secretionem provocat effectus, in phthisi valde commendabile reddit. — Secundum Kurtzii experientias jodum phthisin sanare potest, si ex scrophulosa originem ducit causa (2).

Lemasson (Ueber die Anwendung des Opium in Verbindung mit Jodine bei exulcerirten Hautscropheln) phthisin tuberculosam jodo opprimi posse

---

(1) Antea jodi grana quadraginta octo cum alcoholis uncia una datum est. Tum plane ut causticum se habet. Nordhof narrat, mulierem hoc jodi usu mortuam esse, et in sectione lotum ventriculum corrosum inventum esse (allg. med. Annalen 1821).

(2) Ueber die Anwendung der Jodine in scrophulösen Krankheiten und mit vorzüglicher Berücksichtigung der Versuche und Beobachtungen Lugols in Rust's Magazin, Band 37, Heft 1.



non concedit. — Secundum ejus observata externi quidem scrophulosi tumores resorptione sanati sunt; non tamen, putat, contendi posse, et pulmonum tubercula resorptione et dissolutione removeri posse. Tamen sine ulla experientia de interno usu loquitur. — Scudamore(1) commendat jodum tanquam specificum inhalationis forma, in phthisin. — Edmund Sharkey (2) unguentum hydroiodicum potassae duobus in casibus phthiseos floridae adhibuit; inque altero una cum inhalationibus gasis chlori optimo cum perfectae sanationis eventu. Sine dubio novum hoc remedium valde suspiciosus contemplemur oculis necessarium videtur; futurum tempus edocebit, quantum valeat in phthisi tuberculosa e causa scrophulosa; num hoc in morbo eo uti possimus, an in scrophulosa tantum extra pulmones mala reducendum sit.

---

(1) Froriep's Notizen Nro. 666, p. 92—94.

(2) The lancet Febr. 1832.





## VITAE CURRICULUM.

**E**go Joannes Baptista Asmus, confessioni catholicae addictus, Moguntiae die decimo octavo mensis Martii anno MDCCCIX natus sum. Matrem meam e gente Ametzmann ante duos annos mors mihi eripuit, patre vero optimo adhuc vivo gaudeo. Primis literarum elementis imbutus seminarium episcopale Moguntiacum adii, ibique literis, quae ad studia academica viam muniunt, operam navavi. Anno MDCCCXXVII instituti medico-chirurgici Frederici Guilelmi, quod Berolini floret, civibus adscriptus per quadriennium hisce praelectionibus interfui. Ill. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia; Ill. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Hermbstaedt de chemia pharmaceutica; Cel. Eck de physiologia; Beati Knape de osteologia et splanchnologia; Ill. Schlemm de syndesmologia; Beati Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de entozois et de physiologia; Ill. Osann de materia medica; Ill. Hufeland jun. de pathologia generali, semiotice, therapia generali et speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis et animi; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et medicina forensi; Ill.



Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, de arte fascias rite applicandi et de chirurgia; Ill. Rust de chirurgia generali et speciali; Cel. Hecker Celsi libros de medicina interpretatus est. Artem cadavera rite dissecandi Beati Knappe et Rudolphi me docuerunt.

Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis virorum Ill. Wolff, Bartels, de Graefe, Kluge, Juengken, Rust et Hufeland interfui.

Studiorum cursu absoluto per annum medici inferioris munere in nosocomio Caritatis functus sum. Tum per annum in exercitu regis Borussorum medicus militavi.

Tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.



## THESES DEFENDENDAE.

1. *Venas resorbere nego.*
  2. *Aqua laurocerasi remediis narcoticis non est adnumeranda.*
  3. *Trepanatio in plerisque casibus rejicienda est.*
  4. *Summum ac supremum de morbis sanandis indicium non nisi ab experientia peti potest.*
  5. *Incisiones majores in hydrope sunt rejiciendae.*
  6. *Bubo syphiliticus exstat primarius.*
  7. *Foetus ipse partum efficit.*
  8. *In Haemoptysi venaesectiones largissimae rejiciendae sunt.*
  9. *Omnes mentis alienationes methodo, quae dicitur psychica, sanare velle vanum est.*
- 

Collect: A. C. KLEBS

from: Behn

date: May 19th 75pl

c